commodorum, multò magis ægritudines, atq;
morbi leues, Videri debent, cum non temporalia,
ſed æterna, non pereuntia, ſed ſemper manen-
tia commoda nobis pariant. Itaq; cum caro
concupiſcat aduerſus ſpiritum, et ſpiritus ad-
verſus carnem, et cum quod Vni obeſt, proſit alteri,
ſpiritus quoq; corpore longè ſit nobilior, per
morbos autem non ſpiritus, ſed caro affligatur,
prematur, conteratur, inimicus noſter de-
bellatur, timidior, debiliorq; efficiatur, cum in-
firmetur inſolens Dæmonis ſuperbia, infirmetur
fallax Mundi gloria, infirmetur indomita car-
nis luxuria, cum Anima ipſius Diuinitatis æmu-
la purgetur, Vetus Homo renouetur, meritum
præmiumq; in immenſum augeatur, omnia Vi-
tiis contraria in Valetudine appareant, quis
ægritudinem ſanitati, Infirmitatem Viribus,
Morbos æquabili corporis fortunæ longè præ-
ferendos, atq; eos non ſumma contentione
amoriſq; amplexibus conſtringendos, et maxima
in æſtimatione habendos arbitretur?

אֲמַרְתִּי;

[redacted]